

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

Ad 3/um calendas Martias è Galetianis optimatibus orto circiter, partim latini, partim graeci, ad nos adiere. Significarunt adolescentem quemdam graecum, cui Michaëli Cralis nomen est, popularem suum isthic annum jam tertium in triremibus esse. Quorsum, nescire sese; audire, juvenem calumnia falsisque testimoniis obrui. Obtestati sunt, cum juvenis in alieno solo sit, procul à patria, destitutus ab amicis atque adeo ignotus, uti nos, ad quos visum esset, aliquid daremus literarum, quae suorum saltem pro ejus defensione testimonium longè ferrent; nobis, quorum synceritas isthic explorata sit, id per literas referentibus, perinde fidem adhibitum iri ac sibi, si coram agerent. Haec igitur omnes uno ore asseverarunt; adolescentem cum literis patriarchae Neophyti commendatitiis in Italiam studiorum causa profectum esse; quamdiu domi inter suos fuit, non modo modeste semper ac temperate sese habuisse, sed in templo etiam patriarchali protocanonarchon egisse cum laude. Ad causam accessere quae moveant: adolescentem egregiae indolis, egregiae spei esse, natum honestissimo loco, patrum ejus domi plurimum opibus, plurimum gratia posse. Si nihil ab eo commissum est, dimitti postulant; sin perpetratum aut temere dictum quidpiam, post tam longam castigationem etiamnum teneri sane quam moleste ferunt; quod si praeterita castigatio necdum crimen aequavit, quod supplicii residuum est, id sibi suaeque urbi condonari à Summo Pontifice pro ea, qua eos prosequitur, benevolentia orant atque obtestantur. Hanc defensionem, cum à tua illustrissima Dominatione discesserim, inveni neminem cui melius committi posse putarem: nota virtus, nota humanitas, nota in oppressos atque inopes commiseratio. Itaque preces adhibere supersedeo, ut ne patiatur homines honestissimos ac nobilissimos frustra opem nostram implorasse; tantum dico dignissimos esse quorum ratio habeatur, praesertim cum ordinis nostri sint studiosissimi. Ex iis quidem certè unus à principio nostrae calamitatis ad finem usque incredibiles

28 février 1617. D.Guillier à Bell.(contin.)

18
3519^a (vide pag. 149.)
1819

/ cùm animi, tum corporis labores exantlavit huc illucque nostra causa concursando, nec desperavit unquam aut destitit homo jam affecta aetate, donec rem ad exitum perductam vidit. Omnino, si negotium hoc eum exitum sortietur, quem optamus, et magnam de universa civitate Galatensi gratiam inibimus, et apud viros ante dictos Residentia nostra firmiter praesidium inveniet. Deus opt.max.Illustriss/am ac Reverendiss/am Dominationem servet incolumem. Galatae ad Constantinopolim pridie calendas Martias 1617.

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis tuae

/o

servus humillimus in Christo

Dionysius Guillier.

(adresse): Illustriss/o ac Reverendiss/o Domino, Domino Bellarmino

S.R.E.Cardinali

Romae

(cachet)

Arch.Vatic.Mss. Gesuiti 18 fol.101 Lettre orig. (rép.18 févr.)